

cancellariis camarario protectore et notario malefittii. ¶ Salvo
 quod si aliquis eligeretur et confirmaretur cancelarius cama-
 rarius protector et notarius malefittii, qui non esset de maiori
 conscillio, sint de maiori conscillio suo offitio durante, prout
 5 in forma statuti cuiuslibet continetur, dicto numero non ob-
 stante. Qui consciliarii durent in eorum vita, et nullo modo
 aliquis dictorum consciliariorum dictum conscillium in eius
 vita refutare possit modo aliquo, et si refutaverint, talis refu-
 tatio sit cassa // et nulla et nullius valoris, et iudices sive rec- 56 A
 10 tores aliquem loco illius renuntiantis ponere [non] possint de
 maiori conscillio aliqua ratione, et si contrafecerint non valeat
 nec teneat. ¶ Et nullus esse ¹⁾ possit de dicto maiori conscillio
 nisi maiores illius fuerint de conscilio, scilicet pater vel avus
 paternus vel maternus, et nullus qui fuerit civis alterius civita-
 15 tis terre vel loci, preterquam de civitate Tergesti, modo aliquo
 vel ingenio possit accipi vel esse de conscilio civitatis Tergesti.
 ¶ Et si aliquis dictorum consciliariorum numeri predicti mo-
 riretur, tunc iudices qui pro tempore fuerint, duobus penul-
 timis diebus eorum regiminis et non ante, facere debeant et
 20 teneantur alios consciliarios loco mortuorum defitientium hoc
 modo: quod si unus vel duo consciliarii mortui essent, tunc
 ipsi iudices vel rectores tempore quorum offitii mortui essent,
 dictis duobus diebus ultimis facere debeant infra se ad brevia
 seu sortes unum vel duos defitientes. ¶ Si vero tres consci-
 25 liarii mortui essent, tunc quilibet iudex vel rector(es) suum
 fatiat, et facere et eligere debeant, maiores cuius fuerint de
 conscillio ut supra dictum est. ¶ Et si ultra tres mortui fue-
 rint, tunc per iudices sive rectores fiant alii loco illorum mor-
 tuorum per ipsos ad brevia sive sortes, salvo quod, si tot
 30 consciliarii mortui essent, quod uniusque iudicum in pari
 numero accideret, tunc quilibet iudex ²⁾ ponere debeat suum
 numerum. Qui consciliarius sic electus sit et esse debeat etatis
 quindecim annorum et ultra, et si aliter positus fuerit non
 valeat vel teneat, et etiam qui non sit spurius vel bastardus,
 35 vel qui natus fuerit de non // legitimo matrimonio tam ex 56 B

¹⁾ Aggiunta marginale. ²⁾ iudes.